Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

qui sunt in discendis virtutibus. qui sunt armati contra vicia
studiosi. quibus qui sunt contra hostes dei pugnanti.
Vbera ecclesie sunt magistri in utraque lege docti. qui
lac doctrine pueris docendis infundunt. et eos
ad spiritale bellum nutriunt. De quibus supra scribitur.
Meliora sunt ubera tua vino. Vinum quod inebriat et
dementat est secularis philosophia. que mentes
hominum inflat. et in iactantiam elevat. Vbera
autem ecclesie sunt meliora vino. quia doctrina ma
gistrorum in ecclesia de utraque lege prolata est uti
lior. quia in geminam dilectionem edificat. quam phy
losophica doctrina que mentes inflat. Notandum
autem quod toties repetitur. soror et sponsa. per hoc
datur fiducia ecclesie. coheres christi. ut soror fratris.
et consors regni. ut sponsa regis. Et odor
unguentorum tuorum super omnia aromata. Vngen
ta ecclesie sunt virtutes spiritalium. que quasi ungentis
vulnera peccatorum curant. dum eas ad virtutes
informant. Aromata sunt quedam odoramenta ex
multis speciebus ad condienda mortuorum corpora
confecta. Odor vero unguentorum est fama virtutum
spiritalium. ex caritate orientium. vel opinio
operum que fiunt per spiritum sanctum. Hic odor est super
omnia aromata. hoc est magis deo placet. quam omnia
legis sacrificia. que fuerunt horum figura. Hec ideo
in cantico amoris introducuntur. quia pagani conten
debant cum christianis de phylosophia. iudei vero
legali observantia. christiani confidebant in sola
gratia divina. Phylosophi affirmabant sa
lutem hominum constare in studio sapientie. Iudei
contendebant eam constare in religione legalis ob
servantie. Christiani testabantur eam constare in fide
divine gratie. Hanc sponsus sententiam iudex
approbat. illorum contentionem reprobat dicens.
Meliora sunt ubera tua vino. Id est. Melius est
studium in sacra scriptura. quod gratiam querit. quam in phy
losophia. que arbitrium sine gratia. salutem non

p. q carnales observantie fu[…] prestatiose no[…]tatur

operatur. Et odor unguentorum tuorum super omnia aro
mata. id est magis michi placet doctrine et virtutes
spiritalium. quam omnes traditiones phariseorum car
nalium. Favus distillans labia tua. Labia
ecclesie sunt illi. qui aliis doctrinam narrant. quam ipsi
de uberibus matris ecclesie suxerant. Hec labia
ut favum distillant. dum dulcem doctrinam. quam a
magistris hauserant. auditoribus dulciter
instillant. Favus est mel in cera. Mel autem in cera.
est spiritalis intelligentia. latens in littera. Sed
favum distillat. dum dulcis allegoria de lit
tera manat. Mel et lac sub lingua tua. Lin
gua est interpres cordis. quia quod cor cogitat. hoc
lingua profert. Cor ecclesie sunt sapientes. qui per spiritum
sapientie divinos sensus conceperunt et eos scribunt.
Lingua vero eius sunt. qui ea interpretando proferunt. que illi
ut corde perceperunt. Mel est dulcis doctrina alle
gorie. que doctis congruit. lac simplex doctri
na hystorie. que parvulis id est indoctis convenit.
Mel et lac sub lingua ecclesie esse dicuntur. cum utraque
doctrina allegorica et hystorica corde concep
ta tanta uberum dulcedine proferuntur. quanta dul
cedo in melle et lacte sentitur. Et odor vesti
mentorum tuorum sicut odor thuris. Vestimentis nu
da feditas tegitur. Vestimenta ecclesie sunt bona o
pera. quibus tegit turpitudinem precedentium delic
torum. Odor igitur vestimentorum sunt exempla bonorum o
perum. quibus contra vicia pugnantes quasi lorica ve
stiuntur. quo possint omnia tela nequissimi ignea
extinguere. Qui odor est sicut odor thuris. quia
sic deo placet studium bone actionis. sicut
incensum orationis. Odor enim thuris designat incen
sum orationis. ut scribitur. Dirigatur oratio m. s. i. i c.
tuo. Hortus conclusus soror mea sponsa. hortus
conclusus. In his qui sunt in matrimonio id est imperfecti. es
hortus conclusus et soror. in his qui sunt vidue id est perfecti.
es hortus conclusus et sponsa. Item in his qui sunt odor